



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti**

**Stengel, Carl**

**[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV**

XX. Avgvsti. S. Bernardvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38356**

**S** BERNARDVS Burgundus, nobili loco natus, adhuc materno clausus, vtero matri vélut catellus candidus, ac latrans visus est, quo magnam vitæ puritatem sectatur, & suo latratu prædicationis, hostes Ecclesiæ perculsus non imperitè quidam religiosus augurabatur, vt evenit. Adolescens quippe forma venustate conspicuus, ad Veneris spurcias velut alter Ioseph sèpius allectus, nunquam tamen irretitus, florem virginitatis illibatum seruauit. Quin etiam cùm curiosus oculos in quandam fæminam defixisset, absq; morâ nudatus, ingressusq; conglaciatum stagnum, libidinis ardorem i glaciali frigore, sapienter extinxit. Parentibus vita functis, non se solum, sed & cohortatione fratres suos, calcata humanarum rerum vanitate traduxit ad amplectendam vitæ religiosæ perfectionem, sed Niuardum natu minimum, cum collactancis ludentem priùs allocuti, vniuersà se cedere hæreditate aiebant. Ad quos puer minimè pueriliter, vobis ergo, inquit, cælum, mihi terra? Non ex æquo hæc diuisio, atq; ille sic abeuntes paulo post secutus, nullis amicorum precibus potuit detineri. BERNARDVS igitur tali fratrum suorum conuersorum prædâ potitus, ingressus Cistertium, magna virtutis increments suscepit, frequenter illud fibimet inculcans, *Bernarde ad quid venisti?* Porrò mirâ corpusculum asperitate tenuans, quoties ei præbebat alimentum, toties ad atrox sive undum sibi visus est ire tormentum. Et leuitates oculorum sic edomarat, vt multo tempore templum cænobij frequentans, vnâ tantummodo fenestrâ lumen admitti crederet. Binas etiam Episcopales Mediolanensem ac Genuensem, thiaras oblatas, ipse tantâ dignitatis mole, vel imparem, vel indignum se censens, modestissimè recusauit. Gulielmum Aquitanæ ducem Romano Pontifici rebellem, Eucharistiæ sacramento extra templum elato, ad terram prostrauit, ore spumas agentem; qui resipiscens, postea vitæ sanctimoniam claruit. BERNARDVS autem plurimis miraculis patratis, & grauibus Ecclesiæ processis sedatis, famâ sanctitatis latè vulgatâ, & *Mellifui Doctoris*, cognomen Scriptorum suavitate consecutus, sanctam conditori reddidit.

animam, XX. Augsti A. C. MCLIII.

*Ex vita ap. Sur.*

S.BER.